

The Electronic *Manipulus florum* www.manipulusflorum.com

Presumptio t cum fontibus proximo et primis

→ Idcirco multi ignorauere uires suas et dum credunt se tam magnos quam audiunt, attraxere superuacua bella et in discrimen peruentura.
Exemplum adulantium blande fallentium et ueri consiliatoris sit istud.

Rex Medorum Artexes Grecis bellum indixit cui familiarium unus dicebat: Grecos aduentum nuncii belli non expectaturos sed ad primam aduentus famam terga uersuros. Alius dicebat: Greciam non uinci sed obrui mole exercitus. Alius: Timendum esse ne urbes uacuas et desertas inuenirent; non habiturum regem ubi tantas uires exercere possit. Alius dicebat: Vix illi naturam rerum sufficere; angusta esse classibus maria, militibus castra, explicandis copiis equestribus campestria, celum uix patere sagittis. Dum in hunc modum regem nimia existimatione sui furentem confutarent. Dixit Demaratus: Multitudo ista que tibi placet, tibi metuenda est. Verum est enim per magna nunquam posse regi, nec diu durare potest quod regi non potest.

Nichil tam magnum quod perire non possit.

Sic contingit ut dixit Demaratus.

Nam ut fugax animal pauido regressu regnum suum repetere est coactus.

← Multi enim ignorauerunt uires suas dum credunt se tam magnos sicut audiunt, attraxere superuacua bella et in discrimen peruentura.

Valerius Maximus libro I.

Medorum rex Xerxes grecis bellum indixit. Cui familiarium alius dicebat grecos nuntium belli non expectaturos sed ad primam aduentus famam terga uersuros; alius dicebat Gretiam non uinci sed obrui mole exercitus; alius timendum esse ne urbes desertas et uacuas inuenirent; non habiturum regem ubi tantas uires exercere posset; alius dicebat uix illi rerum naturam sufficere: angusta esse classibus maria, militibus castra, explicandis copiis equestribus campestria, uix patere celum sagittis. Dum in hunc modum regem nimia existimatione sui furentem concitarent, dixit Demaratus: ‘Multitudo ista, que tibi placet, tibi metuenda est. Verum est enim immodica numquam posse regi; nec diu durare potest quod regi non potest.

Nichil tam magnum quod perire non possit’.

Acciderunt que dixit Demaratus.

Pseudo-Guillemus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*, I.A.1 (J. Holmberg ed., pp.9-10, ll.19-25, 1-10).

...ignorauere uires suas, et, [dum] dum se tam magnos, quam audiunt, credunt, adtraxere superuacua et in discrimen rerum omnium peruentura bella...

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*, 6.30.5-6 (F. Préchac ed., vol.2, pp.61-2).

Cum bellum Graeciae indiceret Xerxes, animum tumentem oblitumque, quam caducis confideret, nemo non inpulit. Alius aiebat non latoros nuntium belli et ad primam aduentus famam terga uersuros; alius nihil esse dubii, quin illa mole non uinci solum Graecia, sed obrui posset; magis uerendum, ne uacuas desertasque urbes inuenirent et profugis hostibus uastae solitudines relinquerentur non habituris, ubi tantas uires exercere possent; alius uix illi rerum naturam sufficere, angusta esse classibus maria, militi castra, explicandis equestribus copiis campestria, uix patere caelum satis ad emittenda omni manu tela. Cum in hunc modum multa undique iactarentur, quae hominem nimia aestimatione sui furentem concitarent, Demaratus Lacedaemonius solus dixit ipsam illam, qua sibi placeret, multitudinem indigestam et grauem metuendam esse ducenti; non enim uires habere, sed pondus; inmodica numquam regi posse, nec diu durare, quidquid regi non potest.

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*, 6.31.1-4 (F. Préchac ed., vol.2, p.62).

“Ceterum non est, quod exercitum tuum ob hoc sustineri non putes posse, quia numerus eius duci quoque ignotus est; nihil tam magnum est, quod perire non possit; cui nascitur in perniciem, ut alia quiescant, ex ipsa magnitudine sua causa.”
Acciderunt, quae Demaratus praedixerat...

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*, 6.31.10-11 (F. Préchac ed., vol.2, pp.63-4).

In exercitu Xerxis, quem aduersus + provinciam + Graeciam contraxerat, equae partu leporem editum constat. quo genere monstri tanti apparatus significatus est euentus: nam qui mare classibus, terram pedestri <...> et fugax animal pauido regressu regnum suum repetere est coactus.

Valerius Maximus, *Facta et dicta memorabilia*, 1.6.ext.1 (J. Briscoe ed., p.51, ll.183-188).